

*A tergo:*

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Magnificis item Egregijs & Nobilibus, nec non Prudentibus ac Circumspectis N. N. Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae & Sclavoniae Universis Statibus & Ordinibus &c. Fidelibus Nobis dilectis.

(L. S.)

Zagrabiae. Ex Officio.

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Acta Regni Congr. a. 1747. Nr. 25.

CCL.

Anno 1749. 3. Junii. Viennae.

Resolutio Regia de instituendo in Croatia uno Vice-Magistro Thavernicali et Foro Revisorio causarum Civitatensium.

MARIA THERESIA DEI Gratia Romanorum Imperatrix, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniaeque &c. Regina, Archidux Austriae &c.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Magnifici item Egregij et Nobiles, nec non Prudentes ac Circumspecti, Fideles Nobis dilecti. Ex Literis Fidelitatum Vestrarum Die Quinta praeteriti Mensis Martij ex Generali Earundem Congregatione emanatis, et Informatione de Causarum in Liberis ac Regijs Civitatibus Regni nostri Croatiae ventilari solitarum ac inde appellatarum Foro Superrevisorio deprompta, et ex Juribus ac Privilegijs dictarum Civitatum deducta, Nobisque cum Opinione submissa, benigne percepimus: praetactas Civitates, nec non Privilegiatum Oppidum Czirkveno, in Foro Superrevisorio appellatarum inde Causarum, Civitatem quidem Varasdinensem Judicatus Personalis Praesentiae Regiae Locumtenentis, reliquas vero (excepta Civitate Segniensi, Forum Superrevisorium apud Comitatum habente) Judicio Magistri Tavernicorum Regalium subjectas esse; quod tamen illarum Incolae Causantes ad Forum Superrevisorium Appellantes partim ob Distantiam Loci, Viarumque Incomoditatem, partim vero miserum et egenum Statum, Mediorumque et Facultatum defectum difficulter nimis vel nullatenus ad Constitutum unum vel alterum in Hungaria Forum Superrevisorium debito tempore comparere possint.